

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0085

0083

0089

0079

0094

0074

0134

0034

0184

0584

1084

Ende

Anfang

74

contra vultus suos concitabant. Porro magnos labores et
anxios habuimus cum quodam peregrino, cuius conditiones et
statum manifestare nolo piis respectibus. Hic peregrinus
jacuit in monte quasi mortuus et nec sensum nec rationis
usum habebat et omnino exanimis inter manus nostras tra-
hebatur. Quidam autem frater Ordinis Praedicatorum de
Florentia eum resovit et refocillavit, quia secum ferebat
hujusmodi confortantia. Et credo omnino, si frater ille non
fuisset, in monte mortuus fuisse peregrinus ille. De illo
peregrino sic deficiente hoc secretum manifestare volo (B)
pro nostra aedificatione. Hic peregrinus erat de transmarinis
partibus, sacerdos et religiosus suae regulae observantialis.
In exitu autem suo, quando inchoavit hanc peregrinationem
sanctam, vestivit se ad nudam carnem ferrea lorica, quam
per totum iter numquam exuit, et nocte dieque eam occulte
sub vestibus peregrinalibus portavit per mare, per terram, in
calore et frigore, et hoc modis omnibus nitebatur occultare,
sed non potuit. Haec et similia inter peregrinos considerata
faciunt ipsam peregrinationem magis devotam, quam quae-
cunque loca, exempla enim plus movent, quam verba, et verba
multo plus movent, quam loca. Aestimant boni et simplices
Christiani, quod si essent in locis, ubi Dominus Jesus opera
redemptionis nostrae exercuit, quod velint ibi magnam devotio-
nem haurire. Quibus pro vero dico, quod cogitatio et locutionis
auditio de illis locis plus afficit, quam ipsa inspectio vel
deosculatio. Et nisi peregrinus habeat aliqua devotionis
exempla viva ante se, locus parum facit ad rem verae devo-
tionis. Illi enim fletus et singultus, qui fluunt circa loca sancta,
ut in plurimum contingunt ex eo, quod uno flente alter non
potest se continere, et ita quandoque omnes simul lamentan-
tur, vel aliqui artem habent concitandi se ad fletum, etiam in
rebus non divinis. Et tales in illis locis multas inutiles
lacrymas fundunt et ferme in omnibus locis ululatum faciunt,
non quod locus ille efficax sit, quamvis et ipsa loca devota
sint, sed earum facilitas. De hoc habeo nullum dubium, si X
boni Christiani essent mecum in cella nostra Ulmae, qui ha-
berent disiderium videndi terram sanctam et loca Domini
Jesu, ego locutionibus meis de illis locis amplius vellem eos

